DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LIII.

M. BARTHOLOMEO MURRY, Doctore Medico, Præside.

An Venatio cæteris exercitationibus salubrior?

I.



ERARUM in genus nostrum sævitie, primævos parentes tùm suæ, tùm suorum conservationi intentos, liquet ad venationem primò impulsos fuisse. Nec minus à feris ipsismet, augurari fas est, homines carnium esui excitatos, unde venationis origo altera. Et quidem teneros irruentem in agnos, qui lupum viderit primus, vel juvencam à leone cæsam, eum protinùs contra carnivorum animal, quidquid animis & arte valebat, contraxisse verosimillimum; vel enim fratris, filioli, aut amici, injuriam vindicandam habuit; vel naturæ ipsiusmet genio, tyrannidis odium edoctus, inculpatum animalculum protegendum, tùm ipsius planctibus actus, tùm helluonis intuitu horrido, truci. Ast cur non, hoste devicto, exacutâque inter pugnandum cibi cupiditate, semicæsum agnuli corpus, adhucdum suavi satis odore fragrans, degustasset ipsemet homo? Unde vegetabilium desertor, carnivorus facile factus est, tuncque propria voluptate allectus, sibimet ipsi, ferarum in pecora rabiem invocans, harum instinctu læte usus est, unde canum naturâ fidelium, indomitique sed benigni equi, delectus & institutio; hinc ovium collectio & boum, eorumque in usus mille domesticos accommodatio; hinc primi pastores veluti venatores, qui placida collegerunt, in remque suam verterunt armenta; initum diceres fœdus, hæc inter & hominem, quo sane si ferarum vim & insidias effugerunt, hominis juga ferre, non sine damno, coacta; unde apologi haud insulsi occasio. Demum semina, fructus, & herbas, depascentia, aves & pecora hominem etiam multa docuerunt; deinquè ab ipsismet frugibus, ex parte suis, expulsa hujus arte, quod venationi adhuc aliæ ansam dedit. Sic homo ratione primum, vique, aut dolo, animalium omnium princeps, sibimet-ipsi suisque, dominium stabilivit, quare venatorum ordo inter primos parentes, maximè commendabilis; nec enim agricola nisi priùs devictis bobus, neque pastor nisi priùs gregibus ad officia redactis, pacatè vitam agere potuissent, per campos & circà caulas, aliundè, diu noctuque, obambulantibus leone, urso, lupo. Venatores ergo primi, primi Heroes. Oh quot pericula, quot curæ, quot & quanta eorum conamina, qui nepotum præsidio, voluptatique, vitam & operam suam imposuere! Felices inter eos nimis, qui solertiam & tela sua in fratres non converterunt, heroicamque virtutem cum tyrannide non mutarunt. Sat equidem optandum foret, venatorum eorum nomina, præprimisque generi humano utiles labores, apprimè nosse, sed historia (intellige profanam) ipsamet tyrannibus devicta, fabellisque ad nauseam inquinata, venatores primos, & agrorum cultores, atque artium inventores, oblivionis injuriæ reliquit. Nec possunt Medicinæ fasti, panificum primorum, victusque administratorum, & sanitatis curæ intentorum, nomina resque recensere, quòd porrò jucundius foret, quàm hippotesium illos annumerare patres, qui nil nisi commenta ferventibus animis, somniave, in medium tulerunt, Medicinæ castæ tyranni, bonam artem multifariè mactantes. Quemadmodum autem, artis hujus cultores primos, ARCHIATRIS, aut Clinicis veris sæculi nostri comparare licet, sic venatorum heroum primorum dignitatem, fortitudinem, erga hominum vulgus amorem, nobilissimumque animi candorem, fingere haud difficilè, dum vivis exemplis uti fas est; oh Medici! quæ oculorum facieique serenitas, quæ membrorum robur & agilitas, quot sunt Nestoreæ vitæ prænuntia, in illis qui nostrates in-

ter PRINCIPES præſertim, atque MAGNATES venationi indulgent. Sic primi hominum tutores atque duces; ſic Nemrod venator robuſtus coram Domino. Noſtræ autem artis eſt, omnium ſanitati invigilare; motus, veraſque corporis & animi voluptates, Apollinari penſare trutinâ. Atqui venatio inter omnes eminet, multis ſuadenda.

Totus inſudet Africanus in devincendis tigribus atque leænis, moleque nobis impares nimis, ſervituti addicat elephantem, camelumve. Inſectentur fame coacti Lapones frigoribus albeſcentes urſos; dum inſidioſas fugit, aut inſequitur Americanus ſimias, nunquam ſatis in reptilia omnis formæ, cautus. Hic ſolummodo Europeorum perpendendæ venationes, quales potiſſimum ex uſu ſunt, in amœniſſimo Galliæ tractu, quem ferè tantum exornant in cibos apta, venatorum priùs voluptati dicata animantia, peragrantque aliquot lupi & urſi infrequenter exitioſi. Fecit autem nobis ſecuritatem hanc Gallorum vel ſeniorum ad prælia ſemper expedita virtus, quam fovebant venationes, domicilia, religioſæ inſtitutiones in nemoribus; priſca magnanimitatis intemeratæ fundamenta! Nec deſunt ferarum devictarum tropea inſignia; Ambaciæ portentoſi ab ipſomet CAROLO VII. expugnati animantis oſſa, quæ autumant arte fabrefacta incauti vel ignari; Nemauſenſes etiam trium crocodilorum ſpolia monſtrant, in *Arenis* repertorum; Gentilitiis inſignibus, adhucdum gaudent vetuſtiſſimorum Equitum progenies, à monſtro mactato petitis. Quorſum plura? Poſtulat hæc adhuc inſtituti noſtri ratio; ſervant in Monſpeſſulanis ſcholis, forsàn ab urbe Medicis condita, fædi ſerpentis exuvias, quas præ diametro, ſtramineam obvolventes columnam, pueri ſincero corpori conferres, præ longitudine, virorum ad minus binorum altitudini, dempto capite, cujus maxillæ ſingulatim cubitales; hæc fama habet venatoris antiqui pignus, in APOLLINIS MONSPELIENSE FANUM; unde quidem ſuperſtitionis argutiis, occaſio præceps olim fuiſſet in inſulis Epidauri, Rhodi, Coo, ſi non impavidæ Medicorum ſtirpi, ſaltem ſtolidæ plebeculæ. Aſt quæro num ex prolatis, venatorum priſcorum herculei labores apertè demonſtrentur? Num animantium imminutæ progenies, forſanque extincta genera quædam, aut ſaltem à plagis noſtris ablegata; veluti temporibus Cromwellii lupis accidit in Anglia, cujus ad exemplum, Suecia jam lupis exitum, mortemve ultimùm minatur. Utut hæc ſint, Nemorenſis olim nimis Gallia jam vix cultu vacat, accoluntur crebris oppidis, & vicis Sequana, Rhodanus, Liger, Garumna, quorum ripas tot diceres tabellas, vineis agriſque condecoratas. Excuſſam undequaque gaudet viator priſcam ruſticitatem. Magnis ſatis, in nemoribus animantium greges clauſi remanent REGIS ad venationes, Fontibellaqueo, San-Germani, Compendio. Vix in Pyrenæis montibus & Alpibus, agreſtes caſas adhucdum contra feras aliquot, tueri coguntur coloni, neque hinc felices minus, dum ſua bona norunt. Nil igitur à feris periculi nobis eſt; quod enim ex venatorum nobili genere, deſiderandum foret, id Medicorum onus, putâ viperarum virus aliàs exitiale, nunc inerme; exploratum porrò habeant omnes, ſerpentis hujus qui ſolus, apud nos, naturâ malignus, morſum, certo certius curari, adhibito extùs & intùs alcali-volatilis ſalis dragmis aliquot; præſtantiſſimum ſanè venatoribus Medicorum donum, canibus ipſis & equis commodum! Nunc ergo pede libero, quâlibet venari poſſunt in Galliâ, modo pareant ii quibus datum eſt, PRINCIPIS, & Medicinæ Legibus.

I I.

AVICULAS qui captare cupiunt, aliis atque aliis modis proſpere cedere conſtat; diu noctuque, ſerenâ tempeſtate, uti nebuloſâ, & nive terram obruente; vel enim captandis avibus, ſimillimarum garrulitatem mutuantur, quâ veluti cibum aptatum nuntiante, eſuriens invitatur in propinquo grex cubans, aut itinere inſtituto pergens, dum vitam ſegregem ducentes aves ſingulatim alliciuntur; vel cæcâ luce, flexis in mæſtos gemitus monedulæ ſonibus, longe lateque excitantur corcula volitantium, fitque eorum, fragoſus eòdem concentus. Hic areolam nive expurgatam, condito extruunt tritico, quo jejunæ & frigore torpentes aviculæ variis arripiuntur modis; illic facem ſiniſtrâ præferente, inſtructâque fuſte dextrâ, tonſiles ſilvas quibus receptantur aves, multâ de nocte, placide, pervadunt, ſeligendo ſuper arbuſculis inſidentia animalcula, quæ fuſte ſtrenuè percutiantur; demum viſcato vimine falli, quotidianum eſt avibus, ſicut & decipulorum omni genere, atque diverſis includi retibus; hæc quidem fata manent, paſſeribus & figillis, carduelia, linariæ, fideculiſque. Miliariis proprium eſt, quas vulgò vocant *ortolans*, avidiſſimè expeti, præſertim in ſabuloſis Vaſconum oris, quâ vere & autumno pertranſeunt aves iſtæ; illic in areis arte tritis, allectorum lenociniis aucupatæ, retibus obvolvuntur. Alaudas etiam non negligenter inſequuntur, in agro Bigerrenſi, juxtaque Garumnæ ripas, & alibi; occiduo ſole puer ſpeculator, catervatim pernoctantibus avibus, præſtitutam ad conveniendum ſedem ritè adnotans, herum admonet, qui dein noctu, prælucentibus facibus, retia diſpergit, aviumque gregem integrum contegit. Vel micante ſole in gyros ſpeculum arte actum, per aera luminis radios ejaculatur, quibus alauda decepta, caligans, incautè demiſſiuſque devolat, in ſpeculo ſe intuens, ut putant, unde hanc, ictu certò ferit quàm proximus venator. Quam non illiciuntur in fraudem amoribus, vere, liqueſcentes coturnices! Ecce pelliceus ſacculus fiſtulâ inſtructus, vix manu leviter comprimitur, fiſtulâ ſonat, fœminam ſuam aut alteram, audire videtur coturnix mas, præſto eſt zelotipus, advolat præceps, ruit in inſidias venatoris cupiditate cæcus; autumno, emetitis cerealibus, canis aucupis ſolertiâ, deteguntur coturnices; eademque fermè perdicibus accidunt, quas etiam bovinâ ſub imagine, incautas fallere amant.

turdorum atque merularum copiam, quam ad uvas maturas venter ducit, laqueis ex equinâ setâ, sepem munientes, imminuere solent vinitores attenti. Sic eritachos abunde captat Lotharingus. Neque palumbarum strages, quales in Pyrenæis montibus ex usu sunt, prætermittere licet; autumno solem retrocedentem comitantes palumbæ, Pyrenæos montes transcendunt, viam obliquantes per collium angustias; fundulos cæcos, naturæ opus, ars selegit, quorum ad angulum retia veluti in sacculos ingentes disponuntur; eo collimat venatorum cura, ut in sacculorum fundum seu focum, ruant avium greges, quòd equidem bellè obtinent, super arboribus aut tripodibus præcelsis, juxta angustiarum aditus, exploratores locando, qui tabellas paulatim fuscatas, in gregem volantem immittant; accipitrem sic mentiuntur; pavefactæ in unum congregatur aviculæ, præcipitique volatu in retia incurrunt. Pantheres hæc vocant; nobilis venatio! antiquissimæ ALBERETORUM, FOXENSIUMque Principum prosapiæ in BORBONIDEAM tandem, cumulatâ gloriâ, insertæ, olim fiamiliarissima; agrestes palumbas præprimis in amœnissima valle D'OSSAU, Benearni venamur; palumbas glandivoras, in valle de BARETONS; turtures in NAVARREIS montibus capiantur; quotannis enim viæ suæ peculiari insistunt quælibet avium harum familiæ. Gulæ parens corvus, loquaxque cornix, callida quidem, in insidias tamen decidunt; chartacei cuculli escâ semipleni, marginesque viscati, implantantur in æquo campo, caput in cucullo condunt aves istæ, adhærescentibus visco pennis, lumine orbantur, titubantes subvolant, brevique fractæ ruunt; nuce vomicâ carnibus immixtâ has etiam inebriare solent Campanenses. Sic in foveas tetri cadaveris ope famelicas alliciunt aquilas Cantabri, quæ, præ pennarum longitudine, sublime petere nequeunt, frustraque concutiunt alas. Aquaticis avibus tutum omnino locum, haud exhibent paludes, aut dumeta; venator acer mergens se limo, perque glaciei frusta vias aperiens, rusticulas, & anates insequitur; cujus tum optatis apprimè favent Hispanienses catuli. Ab homine fere tutos lepores, vitam ducere posse prona fides est, nisi venatorum fiducia staret canum auxilio; horum verò curâ vestigatur odore lepus, cubili excutitur, exagitatur, capiaturque; tempestate lepus nullâ defensus & annis; sexu, ventre gravi, patet obvius undique turmæ canum, licet mille vias salutis inveniat, nullaque hosti non arte resistat. Hinc canum delectus & usus, vertagorum aut cursorum, quos gallos, anglosque vocant; hinc plurima *Cynegi* officia, ut præsertim per campos, colles, atque nemora, lepus agitatus, demum fatigatione resolutus, exanimis procumbat. Væ infelicissimum animal! quod, cum carnivoris cunctis mollicula sit esca, rapacium etiam avium præda fit, eique vulpes, nocte ipsâmet, instent; imò quod pejus adhuc, hospitio nullo in latibulis excipitur, à consanguineo cuniculorum genere. Ast cuniculis illis, suæ etiam calamitates; præterquam quod enim, venatorum, canum, vulpiumque insidiis patent, in cavernis etiam absconditi sollicitantur, tùm viverrarum morsu, tùm fluviatilium cancrorum odore, figurâve, aut gressu; venator intereà à latibulis expulsos cuniculos, progressu arcet retibus. Astutas vulpes, mustelas, meles, lutras penè venantur ut leporem, aut cuniculum; tùm & artis singularibus artificiis. Aprorum & luporum, qui in sylvis impeditissimis stabulantur, venatus eò exquisitior multis, quò operosior; armillaris præsertim canis præsidio, qui ad feram magis accedit, ipsa è latebrâ expellitur, turmæque cursorum traditur, semitas bestiæ pervias obtinentibus venatoribus aliis, dum cæteri validissimis insident equis, quorum animus hîc adeò tumet, ut victorem vehentes, contra feram acriter tendant, quam aliàs effusè fugerent paventes. Ursum inter nostratia animalia, hominum generis propinquius, citra pavorem videt nullus; melancholicum animal rarò in rupibus Pyrenæorum & Alpium, affectatum ipsi imperium! turbant. Late plerumque silent, horridæ sedes ejus; vix ipsi periculum infert, venatorum cupido, qui corium recens pagatim ostendere amant, virtutis pignus, ova, caseum, & cerealia, à mulierculis corrogantes, Priscorum ritu. Antiquo etiam in more positum est, apud Pyrenæorum incolas, ut interdum, diem dicant quâ conterminì conveniunt, ursum oppugnaturi; molossis villarum aut armentorum pluribus collatis, quos ducit, & exacuit vegeta pubes. Hæc quidem solemnia fuere Benearnis, præsertim regnante HENRICO suo, qui sublimiora meditans, in ipsis excelsissimis montibus, in venando exercere se amavit, rusticano more victitans, incumbens etiam quandoque ruris labori, uti haud dubia nostratibus traditio, quam majores filiolos docent. Heroicæ posteà HENRICI PROGENIEI, coram legatis, ex generosâ GRAMONTORUM stirpe pluribus, ursi venatum, in ludos sæpe celebravit BENEARNIA exsultans carminibus, & choreis. REGALES cervorum venatus quis dicendo exprimat? splendidam eorum pompam, canum electas turmas, ad celeritatem lectos equos, cornu cantatam harmoniam, NOBILISSIMORUM virorum chorum, tot REGIÆ MAJESTATIS insignia! Celebrent majora ausi. Aucupia etiam, accipitrumque delectus, mores, in prædam conamina, revocare satis est, ut pote quæ à PRINCIPUM lætitiis hæc sunt, omnibus nota. Demum *passivam* quam diceres venationem, seu ferarum aut avium, placidam expectationem, quæ præsertim noctu fit, prætermittere non licet, eam sicut & alias omnes, mirè commutavit, expeditioremque fecit pulveris pyrii usus, chemiæ fætus, animantibus forsan quam homini gravior.

III.

CORPUS vivens habeas, veluti congeriem organorum suo modo viventium, seu gaudentium actione propriâ; ipsa etiam consentiunt vi vitæ generali, sibique mutuò adstipulantur, muniis præ-

terea funguntur multa, ftatis temporibus, poftea quiefcunt, donec novâ fungendi occafione denuò exfufcitentur; fic fovent vitam & fanitatem; cæterum nexu peculiari quo certis partibus conjunguntur, eafdem fibi adfcifunt inter agendum, unde diverfæ eorum in corpore determinantur *Provinciæ*. fyftema nervofum peculiare etiam videtur organon, ad *poliporum* genus, quodam modo, accedens, ut potè quod partes ejus in corpore repant, propriâ contractilitate & extenfilitate ditentur, motuque fpontaneo antrorfum & retrorfum æque determinabili, & fenfibilitate peculiari, donentur. Senfus externos tot diceres ora, tot radiculas, *polipi* hujufce nervofi, quibus vires aut motûs incitamenta hauriuntur, & ut opus eft, renovantur; quod etiam parti cuilibet aliæ, more fuo fenfibilitate fruenti, non recufandum. Stomachum præfertim fuo, ut alibi expofuimus, fungentem officio, *focum* eftimare par eft, inter præcipuos, quo corpus omne irradiatur, & in quem nervofa quælibet conamina modo fuo colliguntur; unde ufus mille evidentes, quotidiani, neceffarii. Sic cor undequaque motum vibrat, & recipit, emititque in partes redivivà fluida, quæ foveant calorem, & inter folida refudent, hæc mucagine obducant, five nutriant, præbeantque excretionum materiem. Sic demum, à cerebro primo Senfuum emporio, fluunt motuum tractus, & ofcillationum *directiones*; ita ut inter ftomachum, atque cerebrum, aliafque partes, perpetuus vigeat motuum confenfus, ferè uti humorum a partibus ad cor, & a corde in illas, fluxus & refluxus. Quænam porrò motuum illorum leges, ordo, modus, & effectus? an hæc intricatiffima, & multa alia fivè in theoriâ fivè in praxi, æquè abftrufâ enucleabis folidè, ex recens prolato mechanifmo, quo contenditur, findromen motuum in corpore, non folum à cerebro, fed etiam à regione epigaftricâ ficuti renitenti fulcro, inchoari, in illafque regiones viciffim convenire, in ufum aliunde advocatâ peripheriæ corporis ope, feu organi generalis exterioris, inftar corticis, reactione, quæ omnia fedulò vitam fuam exploranti (haud minus ut videtur, fido obfervationum momento) patere afferitur & quæ cæteròquin, pluribus aliis adftruuntur obfervationibus, ex ftatu tùm fano, tùm morbofo defumptis? Ut ut fit, nervofa *moles* aut *machina* cunctas amplectitur partes, illafque regit, iftæ offibus ftabilitæ, à nervulis ipfifmet effinguntur, qui nidulantur quodammodo, in cellulofâ fubftantiâ, cui indefinenter accrefcit *fimilaris* illa *albuminofa* materies, è fanguine perpetuò fegregata, quam in lamellas variè cogendo, mufculos, glandulas, vifcera, cutim, offaque ipfamet in formâ componunt, nervuli iidem, mutuifque vincunt nexibus. In eo autem fanitatis præcipuus cardo vertitur, ut organon quodlibet functioni fuæ vacet, tempore & modo requifitis; non fecus ac phalangis robur, penes militem quemlibet confiftit. Porrò fimultaneæ difparium organorum, (exceptis vitalibus) actioni propriæ, non fuppetit natura. Confuetudinis quidem aut ufus vi, plura fimul agere videntur organa fenfuum externa; aft tunc variatum labore otium, & inde oriundum cujufque organi vitium, infenfilia fiunt. Expeditior, & ex facili profluens, organorum omnium celeritas in agendo, (modo rectè functio fiat,) fanitatem conftituunt, æquabiliorum, fluxibiliorem, verè virilem. Digeftionis opus, fomnus, profunda quorumdam meditatio, veneris ictus, *univerfales* corporis mutationes, quibus diu fatis cohibentur cæteræ functiones, morbi leviores viderentur, quà directè fluxui expedito motuum opponuntur, quibus fanitas ftat integra, omnibufque numeris expleta.

Obfervationis hæc documenta; è quibus concludere pronum eft, venatione adamuffim cunctas corporis partes, fanitatis operi habiliores fieri, in eoquè quantum fatis eft, immorari, quoniam nullius exercitationis ope, fæpius officio funguntur organa omnia, neque melius fovetur functionum feries, atque *commoditas*, quas *fanitatum catenam* diceres; quæ equidem evidenter patent; locorum enim feu atmofpheræ mutatione, venatoribus familiariffima, cutis & aeri dicatæ partes omnes, perpetuò follicitantur, undè variè ad virium omnium progreffionem aptantur, & ab incuriâ exfufcitantur, cui nimis favet perpetuò circumfufus aer idem, ad partium forfan tonum, diuturnitate fe componens, & in cruftam nocentem, halituum corporis mifcelâ. Aeris autem naturâ variâ, multifariam mutantur effectus ejus; ecce venatorem affatim alluunt flumina aeris ficci, humidi, calidi, tenuis, in hæc incurrit ipfemet, vapores abforbet, folis, terræ, florumque fœtus, quid non operantur meraciffimæ tot divitiæ, amicæ nervis quos ad opera excitant? Aliunde motus venatorum qui pedibus eunt, aut equitant, infreni curfus pedibus ve, celeres, eorum, atque conatus nervis etiam omnibus, iterati clamores, membrorum omnium flexibilitati abundè favent; nulla non aguntur, & agunt, laboriofifque delectantur lufionibus; hinc ne angulum quidem mente affequaris in corpore, qui motu non perfundatur, atque frictionis fpecie, quâ impediuntur glutinis cellularis coalitus, aut adhærentia, irregularia, tot, mehercle, morborum femina, quibus partes primò in motibus fiftuntur, deinque omnimodè perturbantur. Extùs igitur & intus, gradatim, leviter, fortius-ve fuccutiuntur venatorum vifcera, mufculi, membra, ad remotiffimas fpongiofas particulas ufque; has fuccis madidas, abftergi deceres & expoliri, unde motus in quâlibet machinulâ corporis expeditiffimus, fanitatis caufa, fimul & effectus. Impreffarum in organis fenfuum imaginum mirabiles effectus æftimari fi rectè nequeunt, faltem hos prætermittere nefas; verum enim verò imagines variegatæ quæ depinguntur in oculis, nervofam omnem, fuo modo, agitant molem; fplendent illæ nitoris acie quâ vividius feriunt; nubilantur aliæ furdis coloribus, paccatiufque irritant nervos; conftantes & emendatas recipit organon quibus gaudet, incompofitas & inordinatas, non fine commodo refpuit. Coloribus intentatam blandiendis oculis, veluti fidium ope auribus accidit, machinulam quærunt; hâc ipfamet fruuntur venatores, pratorum rifus, cæterifque nitor, rupium horrida juga, obfcuræ filvæ, folis

ſplendor, labentes ipſæmet umbræ, tabellas præbent omninò mutabiles, quæ colorum differentias alternis repetitiſque ſæpe vicibus, excitant; unde oculus exſultat, omnimodè vellicatus, partibus aliis *fremituum* copiam, læte, impertiens. Ruricolarum etiam cantilenis, *cynegorumque* clamoribus, harmoniâ cornuum, latratu canum, avium permixtis vocibus, ſuſurrantibuſque lymphis, eriguntur venatorum aures, modulatûſque dulcedines totos extenduntur in eorum artus. Odoratûs organon florum effluviis allicitur, neque minus ex agris nemoribuſquè à ſole excitatis vaporibus, tum & paludum ipſiſmet *quaſi ſulphureis* halitibus, eò quidem magis irritatur, motumque toto imprimit corpori, quò nupmeroſioribus nervorum inſtruitur ſurculis, ex *gaſtricorum* familiâ, & quò melius, corpuſcula varia forſan abſorbendo, uſibus ſuis eâ impendit. Triplicis hujus-ce ſenſationum *foci* narium ſcilicet, aurium, & oculi, imperium in corpus, avidè deguſtat venator, hujuſque phænomena mirabundus meditatur Philoſophus Medicus, obſervationum vi ita abreptus, ut odorum, ſonorum, colorumque miſcelâ & compage ex arte diſpoſitis, corpus omnimodè agi poſſe autumet; ex quò ideas ſibi fingeret anima ad libitum. Aſt quoniam motuum ſenſationumque acie, vires adduntur ſtomacho, quem conſtringunt, ſtimulant, diſturbant, aut compeſcunt, odores, viſûs objecta, ſonus, atque membrorum ſucceſſiones quælibet, *gaſtrico* relata *centro*, quem non agitur in motum venatorum ſtomachus? Propterea, alimenta etiam craſſiora, apprimè digerit; cibi frigidi, cupediarum omne genus, & fercula alia, quæ interſiſtentibus apponuntur venatoribus, conditiora cibaria fiunt, avidè operi ſuo indulgenti ventriculo; nulla non molitur viribus, quas opitulanturpartes omnes, quibus etiam viciſſim ſuppetias ipſe conduplicat; indiſcriminatim aquas egelidas, ferventes, fontanas, aut fluviales, generoſum, tenue, hebes-ve vinum epotat. Quoties famè preſſis venatoribus accidit, in agreſtibus recipi tectis, ruſticorumqae panem heſternum, & atrum vorare! agreſtes illas cænas, venatorum haud recuſat corpus, urbium moribus ſolutum; novit ultrà progredi, motuum œconomiam, quâ reguntur & nectuntur civitatum incolæ. Dejectum jugum ipſamet digeſtio demonſtrat. Extrahuntur undequaque, ſucci alibiles juxta naturæ nutum, quæ ad cibos pauca non admittit. Extrema ſuperſunt venationis commoda, utique, ſedulò notanda, animi pathematum, inquam, phænomena; omnimo avertitur totos per artus diffuſa, inter venandum mens expedita, ſuique facta juris, ſtudiis etiam vividioribus, ralaxatur; neque enim tot potis eſt affici ſenſationibus externis, quin ferientur imaginatio, memoria, ſenſus interni: horum oblivione & curarum omnium, quieſcit anima, aut ſaltem foràs evolat, atque excurrit in perpetuas, & contextas, ſenſuum blanditieſ; hinc nervorum generalis & commoda remiſſio; quæ corpori flexilitatem conciliat; in eo ſollicitudo metus, amor, aut odium, motuum ſiſtebant *plenitudinem*; de corpore toto vires in angulum conjiciebant pathemata, oſcillationum tractu ab interioribus ad exteriora moras injiciendo. Venatione induciarum occaſio, ad *æquilibrationem* ſuam cuncta vergunt organa. Imo ſicuti apud Pholoſophos ſpes utilitatis proximæ, perfectius habetur *bonum*, quod attingi poſſit in mortali noſtrâ æconomiâ, ita venatorem conſtat, hâc-ce *boni* ſeu *felicitatis* ſpecie cumulatè frui, enititur ad poſſibiliâ, nec deſunt exacuentes hæſitationes; mergitur explebili habendi cupidine; veluti ſpiritu afflatus, defigitur, raptus in mentis exceſſu, qui felicitatis ultima linea, prædam acriter inſequitur, attingit, apprehendit; optimis ſuffiri voluptatibus diceres, corpus, quod interea nihil eſſentiale deperdit. Quid Sanius?

I V.

SANISSIMIS potiſſimum, propria corporibus huc uſque perpenſa; hæc omnem in functionem moventur facilè. Nil dubium quin abſolutè ſanos homines, ad omnia paratos haberes. Ita profectò, ad numeros omnes membra agerent, ad harmoniam expedito gutture canerent, fidibuſque; imo, vix è limine diſciplinas qualcumque ſalutati, faſtigium, curſu citato, pertingerent, auderent & majora viribus; hinc collige, ſummam hominis excellentiam, nil niſi ſanitatem perfectam. Sed humani generis commodis providè conſulens Creator omnipotens, nulli mortalium, hanc noxiam facultatum integritatem, impertiri voluit; huic faventem organorum eximiam flexibilitatem, impediunt corporis *rugæ*; ex iſtis temperamenta oriuntur varia, quorum causâ & occaſio, nil niſi organorum quorumdam ductæ conſuetudines, aliorum diſpendio, & ope; conſuetudines illæ num morbi, quoniam functionum univerſalitati derogant? Sane quidem, quotquot ſumus vitam hanc degentes, ægrotamus! inæqualibus fractiſque modis, fluunt per corpora noſtra vires. Neque minus tamen miranda hæc diſtributio, quâ ſi deſint in opere nullo hoſpites homines, unuſquiſque propriâ induſtriâ commendatur, peculiareſque partes agit, defectu univerſaliorum, quibus, brevi ſocietatis vincula diſcinderentur. Morborum igitur ipſorum haud exigua munera. Unde Medicina Naturæ æmula, læviſſimis iis incommodis favet, eo ducendo quò vergunt, ſalvo procul dubio, jure religionis legumque. Ariſtarchus abſit haud Philoſopus, qui ex eo, præter æquum, adverſus artem noſtram temerè garriat. Certo certius patet, ad mutua hominum emolumenta, ſuam cuique corpori formam, ſuos cuique corporis nævos, aliquatemus ſervenda; ita ut quod univerſale remedium vocant, cujus ope functionum omnium exercitio quiſque donari poſſit, maximo generis Humani ſtaret incommodo. En Medicinæ jura! Hinc veluti morbis totidem, adhibendæ cautiones variis ætatibus, temperamentis, vitæ inſtitutis, ſexui utrique; diſpertiendaque perſonis, ac tempori conſentanea, ratio & modus, venationis, quâ aliquos ſeſe abſtinere neceſſum docemus. Sic omnes artis noſtræ legibus obligantur.

Organa puerorum tenella, facillimèque irritabilia. In iis natura in quacunque functione ferè balbutiens, ftimilis utitur, permulceturque tenuiffimis; aviculis ergò facile beatur, defideriaque expletur. Juniorum recreabant animos, papilio vel fcarabeus; natu pauluium majorum paffer aut figilla, opima voluptas; Minutiffima enim confectantur quorum ope, pathematum fororiantur germina. Porrò mera funt germinatio, pueritiés atque juventus. Quam autem difficilis, quam neceffaria ars, quâ functiones & partes excluduntur! Aptius quis ipfis inveniet pabulum? Multi quidem infantibus aptant immodica; allucinantur præfertim, ornatiffimarum Urbium cives, in eligendis puerorum occupationibus. Hos confummatiffimos, ftatim ab incunabulis, exoptant; modo contra tempeftatum intemperiem defendantur, alimentifque fuftententur eorum corpufcula, animam fcientiis obruunt, quas non apprehendit, præ nervulorum tenuitate. Aquilonibus aut æftivo fervore, minus læduntur, quam fententiofè docentibus magiftris, organa puerorum. Enecant-ne infecta ipfamet debiliffima, tempeftatum inclementiæ? Pueri igitur frigore trementes, aut fudore perfufi, avium caveas ultrò citroque exportent, foffas faltu fuperent, cæno, ictibus, iteratis lapfubus, affuefiant; hæc ipfis nociva minus, quam anxia inftitutio, aut fublimiora præcepta. Viden quantum infantes urbium, differant cum pueris pagorum, ifti huc & illuc, quovis tempore, curfitant, & caput pedefque nudi; aviculas quærunt, aut appetunt lapidibus, pullos nido detrahunt, in arbores infcendunt, undè lacertofi optime valent; ipfifque fponte variolis curantur, in luto veftigiis volutantes. Refpondent apprimè pueri arboribus, quæ in urbe parietibus applicantur, maleque nafcuntur artè, dum ruri fponte, ad magnitudinem fuam exerefcunt. Imò veveluti in exili macroque folo, arbor inftituta, lætè dein affurgit in agrum uberrimum tranflata, ita villarum pueri, ad felices fæpe provehuntur exitus in urbe. Iterum ergò pedagogis pueri cito nimium non credantur, avicularum præfertim venationibus occupent corroborentque corpus, & animum; de paffere, de caveâ, contendant; gregatim obftrepant, rebus fuis verba & operam dent; tædet illos prudentum confuetudinis, & meritò. Te quoque fexus amabilis infantilibus organis exornavit natura! intermedius viris atque pueris, horum fubtilitati ut & fragilitati proximior; Pfittaci, feles, caniculæ, mobiles oblectant animos, non fecus ac aviculæ, quarum venatio ipfa forfan, ardua tibi nimis, cui rerum domefticarum adminiftratione, fat curarum atque voluptatum. Sunt tamen aulicæ Magnates, Nobilefque fæminæ, magis accedentes ad virorum genium, illis haud infalubris venatio. Aucupio præfertim atque illice calamo, captandis avibus ipfas quandoque ftudere, confonum videtur; Turmatim allectæ & deceptæ aves, num curiofitatem præclare irritarent? Ipfis omnino lepida, quæ adverfus accipitrem moliuntur, ardea & pica, hæc per ramos arborum medios vias inveniens, falutemque dolis quærens, garrulitatem, planctufque latè extendit; illa roftri acie domitorem victa transfigit, quod equidem celeriter mobiles animos agitat, variifque commutat modis, meditationi facili occafionem præbendo, & imaginationis ludis, quod muliebre decet genus. Agite ergò Nobiles fæminæ; apage! decoquentes aleas deferite; quifquilias, fimiarum artis noftræ, averfamini, matutinas tot forbitiones, herbularum mille decocta, lacticiniorum copiam. Ornatus curarum paululum oblivifcentes, rufticamini, venamini. Abfit cæterum à nobis, adverfus ornatus curas, morofa quærela; iis operam dare gaudet Medicina, pecorum ipfafmet cuftodes puellas, rivulos fpeculorum loco confulentes; nafute has reprehendere. fatui eft non Philofophi; exercitationum apud nobiles fæminas vices illæ aliquatenus gerunt, corpus apte componunt, evocantque nimis intentam animam. Litteratos num mirandum videbitur à pueris & mulieribus proximos annumerari? Hunc tamen reapsè locum obtinent, ordines Medicinâ difponente; feliciores enim, quotquot fint, ingenii impetus, mulierum & puerorum aciem fatis redolent, quoniam ad vividiora pathemata magis accedunt, corporifque effrænos & inftabiles motus. Virium hæc redundantia, in mentis arcem infiliens, morbofa fi ufquam linquens veftigia. Infultus autem illos quis impediet? Recufat natura nutum, Midicinâ laborem, doleret fanationem illam focietas. Id unum ergò enitamur, ut fcilicet temperentur, quà fieri poteft, litteratorum infultus, quò faltem interdum diftractæ vires, validiori poftea veluti repercuffu, fructus edant uberiores. Mirandas quandoque præftat mutationes fuccuffio levior, hinc fequioris ordinis venatione, litterati quidam fatis exhilarantur; prædæ etiam expectatione intervallis ipfi feliciter fruuntur, unde itu & reditu leni, faniores molitur motus fyftema nervofum. Venationis fortioris conamina plerumque litteratos non juvant, non fecus ac fplendor atque pompa; huic venationi non magis folertes Philofophi, quam choræis. *Paffivas* igitur infectamini venationes eruditi; aft quàm poteft, meditationes, ftudia, computationes, infectorum, aftrorumque contemplatio, ablegentur, inter venandum; folutior hæc libido, cane pejus & angue, devitanda. Non magis autem quam firen audiendi critici, ingenuas difciplinas promifcuè defpicientes; ludus ille non eft omnium. Adverfus bonas artes acrius clamitantes, curandos affumeret Medicina, quæ tamen fcientiarum abufus omnimodè refpuit, ab Hipprocrate ad nos. Utinam porrò Medicinæ paululum ftuderent litterati omnes! quod equidem fanitati æque commodum foret, ac ftudiis ipfis, & virorum illorum operibus. Imo fi nimium foret, iufulfa habere opera, quibus Medicinæ condimentum deeft, faltem gratulari Medicis licet, ea felicius fuccedere, quæ arcana artis noftræ vetuftiffima referant, florefque legunt ipfi familiares. Quid precor hominum, vitæ, morum, legumque hiftoriis fupereffet, demptis medicinalibus obfervationibus, genio, ufu, utilitatibus, publicis & privatis; Eia ut elegantes ut fæcundæ Medicinæ Antiftitum fententiæ! Hoc addamus unum,

scilicet litteratos Medicorum norma se gefentes, (in profanis, quæ ventilare licet) aptiores innumeris variisque moribus tolerandis, futuros; hinc cuncta ordini peculiari adstringendi, cupido minor; hinc quorumdam præcordiis magis accomodata Phylosophia, Architectura, Musica, Ritus, tyrannicè suffragia non cogerent, vel emendicarent abjectè. Medicorum est temperamentis consona distribuere, juxta leges artis, tum *Pyronistas* ipsos, tum sententiarum tenacissimos, ex æquo curantes, & adversos componentes. Jam NOBILIORUM hominum partem, armis præstantium, legumque latorum, & Heroum genus perpendere liceat. Ipsi functionum flexibilitas, universilitasque superius allatæ, præsertim necessariæ. Altiora mente reponere, præcipuas rerum perspicientias degustare, gustatasque servare diù, propositorum multitudine non obrui, animi virili tranquillitate frui, proprium est PROCERUM eò quidem magis, quò REGI, rerum omnium molis sustentaculo, & centro, propriùs accedunt. Inferioris notæ nobilibus, leporis venatum indicare sat est. Venationes autem vehementiores, per nemora saltusque, cursus, & æquitatio, contra cervos, atque damas MAGNATIBUS exercitatio potissima. Hinc à pueritiâ institutionis excellentissimæ mores stabunt, & jura, quibus secus ac cæteri homines fruuntur, defectu minutissimarum curarum, naturam omnino disturbantium; hinc copiâ sensibilium exsurdatis organis, stimuli vividiores adduntur; hinc demum militiæ laboribus apti fiunt; radicitus interea, erasis sollicitudinibus, metu, nodis, quibus inhibetur vulgus hominum. Felices Populi quorum REGES naturâ duce, venationes illas colunt, quas Medicina suadet! Firmissimo nituntur fundamento, vita & sanitas, pretiosissimæ? certiusque & benegnius æstimamur, toleramur, & compescimur, inferiorum greges, amore propterea ducti.

V.

ANTIQUORUM exercitationes plurimæ, nobis desiderandæ superessent. Corporum priscorum fervorem humano generi, ætas abstulisse videtur, quâ proportione temperati sunt mores. Neque tamen deerant cursui, luctationi, ad annulum decursionibus, æstimatione dignæ utilitates. Geniales nunc apud nos instituuntur, quandoque, dies PRINCIPUM munificentiâ, cujus auxilio, vulgi magno emolumento, antiquorum ludorum jacturæ, non malè succurritur. Præterea provinciales Populi, ii præsertim qui Australes Galliæ regiones incolunt fortunati, multis etiam modis corpora adhuc exercent. Utiles quis neget adolescentum, in Galliâ Narbonensi, sæpè advocatas conciones, in quibus manipulatim primò, distribuuntur pugnatores, fundâ lapidibus immissis, postea, vi dolisque dimicaturi? Hinc corporis alacritas, ingeniique acies, apprimè foventur; non secus ac ardor animi, & in REGEM immutabilis pietas; REGALEM enim semper designant partem, quæ prosperam adversus hostes faciat pugnam; en ductorum, militumque & artificum, dives veluti seminarium, imperii vectigal. Validis etiam, ibidem, follem incursant pugnis; protrudunt malleo volubiles globos; naumachias sæpè celebrant juvenum & seniorum, maritorum & innuptorum, lectæ cohortes, quæ omnia corpus omninò discutiunt. Pilâ creberrimè ludit Cantabrorum gens, Romanorum olim indocta ferre jugum, saliendoque, & ad fidium sonos saltando, movere se amat agilis; lamentatur quidem, & requirit mores Avorum qui publicis sumptibus, tympana in nuptiis, atque Baptismatibus persolvebant; ast lætitiæ, choreisque nata, immane quantum gestationi semper exardeat. Taurinos, quos Hispani vocant cursus, aliquatenus imitantur Benearni, boves molossis tradendo, in triviis, civium concurrente coronâ, quæ fugâ motibusque repetitis, nunc salutem petit, nunc verò voluptate turmatim admovetur. Num patriæ suppeditare desinent, perfectâ musicæ scientiâ canentes filiolos, Regionum illarum matres, ferè quot-quot sunt, saltatrices, atque cantatrices? Timpanulis, quæ Boemica vocant, Cantabrorumque tympanis, fidibus instructis, quæ Gallo-provincialibus absimilia sunt, citharulisque vulgò utuntur. Triplicem antiquorum saltationem *emmeniam* sive gravem, *cordacem* aut lætam, *siecinem* vel mixtam, Gothorum moribus paululùm inquinatas, servant (Pagus quilibet immutabiliter suam) & inter saltandum, cantilenis Heroum gesta, HENRICORUM, atque LODOICORUM dona, vitam, & præclara facinora, toto pectore, canunt; puerulorum animos, alimoniis illis indesinenter, religiosè instituentes. Imò in numeros & harmoniam, tanta ipsis proclivitas, ut hæc in sermone ipso reperias, adagia redolet ille, atque sententias, breviter atque vividè ferit. Næniis etiam metro deductis, cadavera ipsa tumulis componunt, & insequuntur; neque vana fides est; in valle enim D'ASPE, qua Cæsaris iu Hispaniam iter, carminibus parentant mortuo, consanguineæ, aut amicæ mulierculæ; elegias, flendo profundunt, quod emunctæ narium viris, aliquando revocavit, ea quæ de Poetis Dionchrisostomus habet, illos scilicet, maximè prædicandos, ex eo quod multitudinis aut vulgi ideas sententiasque servarint; effatum equidem nostris etiam temporibus haud illepidum! super iis autem meditationes ablegamus, ut & ludorum examen, quâ variis proprii regionibus, vel ab unâ in alteram traduntur, ab adolescentibus in adolescentes, mirabili normâ commercii. Utut sit, exercitationes illæ omnes ad venationem procul accedunt, aliæ enim corpus nimis fatigant, aliæ atmospheram aëris ambientis non murant, nullæ à studiis animam satis abripiunt, & ad vulgus hominum pertinent, quod infra notandum habemus. Venationi aliquatenus assimilatur equitatio, omnimodè uti reapsè debetur commendata, neque tamen circa eam, præconceptis, modus excedendus, quod sane multis expro-

brandum, qui confidenter nimis, observationibusque propriis inopes, phthisicos ipsos equitatione curandos autumant, inter quos Sydenhamius ipse, haud omninò præjudicatâ opinione liber, dùm præsertim generaliores Artis nostræ regulas extollit, tot ut videtur, Galliæ Medicorum decimi-quinti & decimi-sexti sæculorum placita. Venationis autem super equitationem præstantia facilè ex dictis patet. Accedit equitationi ambulatio, quæ sanè haud negligenda; præsertim ubi fieri potest aperto cœlo. Ab Epicuro moris est, teste Plinio, in Oppidis habitare ruri, hortosve colere, eximium sane inventum veri Philosophi! qui urbium Prncipem nostram, hilariter habitasset, quoniam, præter infinita alia cordatis viris insignia, tot palatiis, totque splendidis ditatur hortis; quid porrò Epicuro ipso mirandum magis foret, quam REGIÆ domûs, hortique REGII, quæ admiratione stupenti spectatori thesauros artis, & naturæ pretiosiores abundè præbent, oculis avidè perlustranda, & quæ Philosophus liberè percurrat. In curru vectatio, pernecessarium nunc habendum incommodum, cui diligentissimè præcavere expedit, stomachus exercitatione illâ disturbatur, obruiturque caput, præsertim iis qui recessim vehuntur, astringitur alvus, corpusque totum calefit, eò magis, quò sæpè minus aerem renovant imprudentes, crura demum torpore afficiuntur, ita ut diuturnitate temporis gressui fiant inhabilia. Sinenses fama est, mulieribus pueritiæ tempore, elidere pedes, gressum impediendi causâ, id equidem obtinerent pedum solummodo usum cohibendo, sic enim brevi tripudiarent puellæ, inæquâ lance corpus huc & illuc motitantes, uti apud nos illis accidit, qui curru abutuntur. Ii ergò quibus caput, pectus, atque abdominis viscera integra servare menti inest, curru, necessitatis tantum causâ, utantur; præterea què obambulationibus crura restituant; hinc raciditus excidentur anomalium tot convulsionum causæ, quas in curru vectio fovet, motuum copiam, adversus pectus atque caput dirigendo. Venationi piscatum nullus verosimiliter unquam referet, attamen piscatu corpus & anima quandoque, non malè afficiuntur, scilicet dum arundine longâ, hamoque pisces falluntur & ducuntur, præsertim in amnibus pisculentis, vel in piscinis. Ripas sereno cælo, medicina habet, veluti balnea aut thermulas, quæ corpori immerso aquam præbent haud insalubrem; exhalationibus illis navium usus ab Antiquioribus decantatos, partim referes; neque tamen balnea hæc & alia cum laudatoribus priscorum morum, nimls facias; prosunt equidem aliquando sanissimis corporibus, amabiliter frigida, magis quam calida; ast immersionibus illis ne crede nimis; cutem qui pertetuò mundare intendunt, hanc in functionibus non minus disturbabant, quam qui perpetuò ventrem pharmacis sollicitarent. Præterea sanguinis *lotionem*, *humectationem*, *dilutionem*, *lixiviam*, *edulcorationem*, quò magis & ad vulgi nutum, & admirationem, prædicant, Medicorum simiæ, eò magis Natura negat fictitiis se allici lenociniis, popularibusque placitis, Clinicorum ad nauseam non *theorisantium* consensu. Perniciosum quod nimium; immoderatas solummodo balneationes oppugnamus. Quis crederet inexpertus? quò sæpiùs abluitur cutis ad mundationem, eò magis quandoque contaminatur, vel demum omninò constringitur, veluti alvo accidit enematibus nimium sollicitatæ. Salubris lætaque digestio, motus corporis & animi, verè juvant transpirationem, hanc dum cutis strictûrâ, vel fervore peccare demonstratur, cutem balneo lava. Interim inter Mahumetanorum mollitiem, Laponumque rigiditatem, tutò medius ibis. Compara etiam in piscibus & in animalibus aliis, sat similem colore & pondere sanguinem, dum pisces squammis ditavit natura aquæ imperviis, quod generi nostro recusavit, quoniam aëris pondere, & elatere, non vero aquæ mole, & flacciditate vivimus. Compara etiam paludosorum locorum incolas, cum illis quos continuò lambunt Aquilones.

Non desunt temperamenta, morbi, vitæ institutiones, venationi quam prædicamus, repugnantia. Hæc Medicis perpendenda linquantur. Exempli tamen gratiâ, venationis exercitium, uti libertati admodum favens, militibus recusandum contendimus; aliunde operariis, atque colonis, corporis vires haud fovendæ, quoniam ipsis illæ familiares; animi autem pathemata vividiora, œconomiam vitæ necessariò disturbarent, quâ veluti instinctu ducti, vivunt, atque tenore æquabili, dies diebus pares degunt. Hinc legum sapientissimo decreto, venationes multæ prohibentur vulgo; quod equidem diligentiùs servandum, sanitatis ipsiusmet vulgi gratiâ. Sic Justitia, & Medicina sorores, hominum saluti unà præsunt, vitæ functiones, familiarum nexus, hominum privatorum mores, & sanitatem rectè colentes, & exercentes; temperamentis, naturæque facultatibus, corporis & ingenii viribus, ponderatis dispensatisque, juxta commoda Reipublicæ, quæReligioni, Militiæ, Justitiæque, & Medicinæ, tota innititur.

Ergò Venatio cæteris exercitationibus salubrior.

Proponebat Parisiis THEOPHILUS DE BORDEU, Benearnus, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1753, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1753.